

Nota ad Marmor Cretensæ.

123

autem octava pars uncia, & uncia argenti est pondus coronæ Anglicanæ: dimidium igitur coronæ Anglicanæ valore idem est cum statere Græco: & eisdem etiam valoris erat Siclus argenti Hebræorum, quod ex ¹ autoritate Josephi, qui dicit siclum Judaicum quatuor drachmas continere, et etiam ex 17 cap. Mathæi satis manifeste constat, ibi enim Petrus dicitur pro Christo, & seipso ¹ unum Staterem Templo Hierosolymitano solvisse: ¹ singuli autem dimidium sicli tenebantur dare. Stater igitur, qui pro duobus solvebatur, Siclus erat, cujus dimidium ^m erat δίδραχμον, i. e. duas drachmas continebat.

Ἐἰς Ἀνδρηῖον. i. e. Ad sacras epulas seu festa solennia. ¹ Ἀνδρεῖα enim festa erant apud Cretenses certis anni temporibus, eodem modo quo Φεῖδιπα Sparta celebrata, cum hac solâ differentia, ^o quod in Creta victus è publico paratus erat, Sparta vero ad illum omnes, qui ad epulas admitti volebant, contribuere. ^p Utraque festa olim Ἀνδρεῖα dicebantur, postea vero cum Lacedæmonii post latas Lycurgi leges valde parci in his Epulis esse inceperint, ^q ea deinde Φεῖδιπα à Φεῖδω parca appellabant, ab eoque tempore vox Ἀνδρεῖα erat apud solos Cretenses nota. De his festis apud eos celebratis hoc tantum traditur à scriptoribus, quod Phiditiis Lacedæmoniorum similia erant; qualia autem erant Phiditia Lacedæmoniorum doctissime tibi ostendit Meursius in Misc. Lacon. lib. 1. c. 9, & 10.

Οἱ Ὀρχεῖ ἠγασμένοι. Dorismus, ut ego puto, pro ὄρτε: itaque pro tempore verti: τὸνα certe sæpius occurrit, at cum *ei* in fine, plane quid velit nescio, nisi si incognitus quis Dorismus sit, legebam ideo aliquando τὸ κ' ἀεὶ: pro tempore, & in posterum semper: singulis annis nempe, τὸ apud Dores pro ὄρτε frequens etiam. Pricæus.

Συνεπιπαντὶ κρηναῖνι. Verti cum Populo Communitatum. κρηναῖον duplici Dorismo puto κρηναῖον esse. Pricæus.

Ἐὺ τὰ πάντα περὶ ἐπιμύλι. Ita supplevi, favens potius conjecturæ meæ, quam quod vestigia Marmoris plene assequutus sum: nam profecto exscribere videbat mihi ἀεὶ τ. α. α. τε. ἐπι. ἐ. μύ. λι. Pricæus.

Προδίκησι. Potui arbitrium, placuit Patronum vertere, neque tam privatum quam publicum, sive Civitatis defensorem subintelligi velim. Pricæus.

Δόξιν ἔξας τὸ δόξιν, &c. Ita hæc supplenda censui & distinguenda: ἔξας Dorismum puto pro ἔξῆς esse. Pricæus.

Τελέται. Alius Dorismus pro τελέται, h. e. δουῶται, itaque fidenter verti deligere. Pricæus.

Ἐνδυμνω. Videor mihi difficiliore locos quosdam intelligisse, & tamen heic non potui expedire me: deest in fine apex quispiam, at hoc minime negotium faceffit. Plane nil habeo quo hanc vocem explicare possim, sensum interdu somniavi istiusmodi esse. *Insuper sponsores danto ex quo primum Curia præfuerint, nullibi quam eo foro cogniturum se.* Excutiant doctiores, nos hæc pauca non citra tædium attulimus. Pricæus.

Περὶ τῶν δυνάων. h. e. τῶν δυνῶν. verti de controversiis: nimirum iis de quibus supra lin. 57. & de incipitibus mentio, è quibus multæ etiam heic non signatae modus constat, stateres 50. nempe. Pricæus.

Ἀθναίας τῆς Πολιάδος. i. e. Minervæ Poliadis seu urbanæ, sic enim Minerva dicebatur in iis urbibus, in quibus maxime colebatur, & Tutelaris civitatis Dea putabatur; maxime vero Athenis Minerva Πολιάς dicebatur, de qua re legas Meursii Cecropiam, cap. 20.

¹ Lib. 3. c. 9. ¹ Com. 27. ¹ Josephus Bell. Jud. lib. 7. cap. 27. Exod. c. 30. com. 13. & 2 Cron. cap. 24. com. 6. & 9. Dion. Cassius lib. 66. Maimonides in Shekelim. ^m Matth. 17. com. 24. ⁿ Strabo lib. 10. Plut. Sympos. lib. 7. Quæst. 9. ^o Aristot. Polit. lib. 2. c. 7. ^p Strabo lib. 10. Aristot. Pol. lib. 2. cap. 8. ^q Plut. in Lycurgo.